Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rituale Sive Obseqviale Ecclesiae Et Dioecesis Constantiensis

Constantiae, 1686

Rvbrica ordinis et modi communis baptizandi infantes, tam masculos, quam foemellas, cum sollenitate & caeremonijs confvetis

urn:nbn:de:bsz:31-132849

Visual Library

RVBRICA.

ORDINIS ET MODI COMMVNIS BAptizandi infantes, tàm maſculos, quàm fœmellas, cum ſolennitate & cæremonijs conſvetis.

Notet inprimis Parochus, vel ipſius vices agens, quod primus baptizandi modus ita digeſtus ſit, ut facilé accommodari poſsit infanti maſculo baptizando, vel fœmellæ. Si enim baptizanda ſit fœmella, tunc ubicunq; occurrit ei hoc ſignum ſtellæ * *meminerit, ibi genus eſſe mutandum, et legendum id, quod includitur hiſce duabus ſemilunulis* ( ) *: Si vero baptizandus ſit maſculus, nihil hoc ſignum ſtellæ curans, inoffensè pergat, omiſsis tamenillis, quæ intra dictas ſemilunulas continentur.*

Si verò contingat plures ſimul infantes adeſſe baptizandos, verbigratia, adſunt duo maſculi, tunc mutato numero ſingulari in pluralem, baptizet duos, vel plures maſculos ſimul. Si verò adſint duæ, vel plures fœmellæ ſimul baptizandæ, mutato quoq; numero ſingulari, inter ſemilunulas contento, in pluralem, baptizet duas, vel plures fœmellas ſimul.

Si denique eveniat, ut in amplioribus Parochijs ſæpius contingere credimus, quod baptizandi eſſent unus maſculus, et una fœmella, vel plures maſculi, et plures fœminæ, et plures maſculi cum una fœmella, vel plures fœmellæ cum uno maſculo, tunc obſervari poterit modus plures ſimul baptizandi infrà poſitus.

De hoc tamen modo baptizandi, omnes maximè rudiores et ſimpliciores Sacerdotes inprimis monitos eſſe volumus, ne quis temere conetur eo ut, niſi probè ſciat obſervare genus et numerum, juxta qualitatem baptizandorum: Potius tantum ſibi ſumat temporis ſpatium, ſi non ſit periculum in mora, ut ſucceſſivè unum infantem poſt alium, vel maſculos ſeparatim, et fœmellas ſeparatim, juxta primum baptizandi modum baptizet.

FONS, ET ORIGO BONORUM OMNIUM.